Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3219
Quelle:
Copyright:

quod narret ab hoc Pontifice collectum numerum Paparum, Cardinalium, Archiepiſcoporum &c. ex Ordine S. *Benedicti*. Ceterum in caſtris *Roberti Lincoln. Guilelmi a S. Amore* et *Richardi Armach.* totus eſt.

XXI. *fol.* 421. Collectio variarum Precum ad Deum et Coelites, quae hic quidem inſcriptae ſunt: *Orationes de veteri teſtamento valde bone*, verum jam p. 4. ad *Novum* tranſeunt. In calce jacet iſtud ἐπιφωνημα: *Complete ſunt oraciones iſte per manus fratris Michabelis kalczinger de Ratiſpona ordinis fratrum predicatorum Sub Anno Domini M°. CCCC°. XXVIII°. In die ſancte Eufemie virginis. Orate pro eo.*

XXII. *fol.* 469. *Hymni* aliquot *Eccleſiaſtici* cum declaratione, ſeu, ut in Editionibus Sec. XV. adpellatur, *Commento.* Primus eſt: *Conditor alme ſiderum* &c. ut in Dom. Adventus ad Veſperas.

XXIII. *fol.* 481. Commentariolus de Studio orandi, cujus Thema: *Domine doce nos orare. Luc. 11.* et initium: *Orationibus inſtate horis et temporibus conſtitutis et ſecundum apoſtolum, ſine intermiſſione orate, ſine intermiſſione autem orare eſt omnia ſua opera et exercitia ſupernaturalia et temporalia actualiter aut virtualiter in deum tanquam in vltimum finem referre* &c.

XXIV. *fol.* 483. Sermo ad *Cartbuſianos* de Obſervantia Statutorum in illud: *Beati qui audiunt verbum dei et cuſtodiunt illud. Luc. 11.* Initium: *Vt quia moderno tempore quod ſine dolore et pauore nec dici poteſt nec audiri a pijs ac deuotis auribus in bello viciorum atque virtutum religioſorum maior pars ignorancia infirmitate aut malicia miſerabiliter ſuccumbunt* &c. Scriptionis tempus liquet mox ab ingreſſu, ubi, poſtquam VII. *Eccleſiae tribulaciones* ex *Apocalypſi* eruiſſet, ita proſequitur: *Ita ponit Heinricus de Haſſia in quodam tractatu ſuper miſſa et in tractatu de ruina eccleſie et petrus Cardinalis cameracen. in quodam ſermone vbi dicit quod illa 4ª tribulacio incepit ab anno domini M° C° et durabit vsque ad quoddam magnum ſciſma — quod ſciſma veriſimiliter modo eſt quia tale prius nunquam fuit ab inicio eccleſie* &c. Per decurſum mentio fit etiam *Statutorum Guidonis* ſeu *Guigonis* Prioris Gen. V. *Cartbuſiae.*

DCCCCLXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 423. 4. olim antiquiſſimi Coenobii ad D. *Pantaleonem* O. S. B. *Coloniae* Varia variis manibus exarata complectitur, quae ordine notabimus. I. *Queſtio notabilis.* Ita inſcribitur Diſſertatio ſeu *Quodlibet* de Poteſtate Papae et Eccleſiae ſeu Concilii generalis, cujus initium: *Utrum pontifex ſummus papa poteſtate ſit preditus ad omnia quibus gubernatur eccleſia* &c. Concilio primas dat Autor ἀνώνυμος, addit tamen ſub finem: *Sed licet modo concluſerim concilium eſſe ſupra papam, ta-* 636